



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. A vitijs homines varijs bestijs similes fieri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Borgia lib. 1.  
cap. 7.

*Tunc Isabella? Tunc Augusta? Fallunt oculi? aberrat mens? Sed non fallunt: Nimirum humanarum hec rerum vicissitudo est. I nunc, fragile illud forma bonum admirare. I, lutum hoc auro orna; i, pinge cutem; crispa capillos; stringe cincinnos, puella. Quæ etiam in viris sunt longè deformiora. Quamquam ita, tonsæ sunt nunc & pileatæ, ita viriliter thoracatæ, seu nuptæ, seu nubiles fæminæ; ac vicissim ita comtuli & cincinnatuli iuuenes, vt, si eos videas per fenestram prospicere, faciliè in viris fæminas, & in fæminis viros autumes te intueri. Aded monstra sunt & puellæ vt iuuenes tonsæ, & iuuenes vt fæmina compti, propriasq; præstigias forma & hic sexus sibi agnoscat, barbaram acrius cedere, interuellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere cetera pulueris cuiusdam asperitudine leuigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere, cum tamen cognito Deo adempta placendi voluntate, per luxuriam vacationem, omnia illa, vt ociosa, vt hostilia pudicitia recusantur. Sed de his iuuenum monstris satis superque egi in secundo libro de Labyrintho, vbi eos monstro camelopardali comparauit.*

Tertullian.  
lib. cit. c. 8.Lib. 2. de La-  
byrinthi  
fraudib. c. 3.

X.

Boët. lib. 4.  
de consolat.  
Phil. prof. 3.

In longam Iliadem opus excurret, si omnes hic voluero enumerare similitudines, & nomenclaturas, quibus scriptores tam sacri, quàm profani, & populi vulgus singula mortalium vitia soleat exprimere. Quoddam velut compendium accipe à Boëtio, & quod non vis dici, noli esse. *Vide, inquit, ex aduersa parte hominum, qua improbos poena comitetur, &c. Quidquid à bono deficit, esse desistit. Quo sit, vt mali desinant esse, quod fuerant. Sed fuisse homines, adhuc humani corporis species ostendat. Quare versimilitudinem, humanam quoque amiserit naturam. Sed cum ultra homines promouere sola probitas possit, necesse est, vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Avaritia seruit alienarum opum violentus ereptor? Similem lupo dixeris. Ferox atq; inquietus linguam litigij exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Ira in-*  
*temperans*



temperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervus similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis ac inconstans studia permutat? Nihil ab anibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui, probitate deserta, homo esse deserit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. Quod multò magis est prodigiosa, quàm si cicurata belluæ vertantur quodammodo in homines, discantq; ire per extentum funem, quod de elephantis refertur, & de alijs bestijs alia, quæ alioqui non videntur, nisi ab humana prudentia provenire. Meritò igitur & ego, mutato stilo, dicere possum;

*Postquam cœperunt homines brutescere, verso  
Ordine, cœperunt hominescere bruta vicissim.*

CAPVT LXII.

*Defectus monstrorum & naturæ, plerumque  
aliunde compensari.*

**P**oterant huc vsque disputata satis placare imperitorum monstra carpentium querelas: & sufficit, malitiæ atque superbiæ fructum esse, quod impatientia non vult tolerare; immò audet in tam benigno Plasmatore, criminosis ininiurijs accusare. Quid enim? si monstrum finit gigni, cui iniuriam facit? quid, si luscum, aut cæcum, aut manibus pedibusq; truncum hominem in lucem prodire ab utero matris suæ permittit? Dominus est vniuersæ naturæ. Quod vult, facit. Potuisset talem omnino non sinere nasci, aut concipi. Potuisset eum in Nihilo suo relinquere. Quidquid ei dedit, gratis dedit; & sæpe etiam ingrato. Quidquid negavit, pro potestate sua negavit. In summa tantum dedit, quantum dare voluit. Statuarius ex ingenio fingit simulachra, alia sine pedibus, & pectore tenus tantùm, alia integra. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Rom, 9, 21